



2124. cc. Jur. 632, 24

POSITIONES
EX
OMNIGENO JURE.



Q U A S
EX AUCTORITATE ATQUE DECRETO
AMPLISSIMÆ AC CONSULTISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN ILLUSTRIS REGIA UNIVERSITATE
DUISBURGENSI
PRO
SUMMO IN UTROQUE JURE GRADU DOCTORIS
IMPETRANDO
PUBLICÆ ET SINE PRÆSIDE DEFENDET
CONRARDUS JOSEPHUS DUYCKER
STRALENSIS.

DIE APRIL. MDCCCLXXXIII.



DUISBURGI AD RHENUM,

STANNO VIDUÆ BENTHONIANÆ ACAD. TYPOGR.





POSITIONES

EX

OMNIGENO JURE.



Ex jure naturali.

I.

Parentibus defunctis naturale est succedere filios, filiasque in capita, cum eadem pro omnibus naturæ ratio obtineat.

II.

Dolus dans causam contractui atque ab ipso pacifcente adhibitus, reddit negotium ratione læsi nullum; rejecta hoc casu Romanorum sententia, quæ vult aliquando pactum ipso jure nullum, aliquando per restitutionem

tutionem in integrum rescindendum esse, quas tricas
jus naturæ improbat meritò, atque ignorat.

III.

B. f. possessor omnes fructus extantes, eosque, e
quibus factus est locupletior, veluti si suis pepercerit;
haud vero fructus plene consumptos, percipiendosve
restituere debet.

IV.

Constitutio juris civilis, quod minor suo consensu
se obligare nequeat, multis in casibus cum principiis
juris naturæ mihi non convenire videtur.

Ex jure canonico.

I.

Privilegium clericis concessum inepte ex jure divino,
sed ex mero humano deducitur.

II.

Laici, quamvis ut arbitri in causis temporalibus
quoque a clericis recipi possint, tamen in spiritali-
bus assumi non valeant.

III.

Clericus debet coram judice ecclesiastico conveniri
de omni crimine.

VI.

IV.

Non per positiones & responsiones, sed per petitionem in jure propositam cum responsione alterius fit litis contestatio.

V.

Juramentum metu extortum servandum, donec ab Ecclesia relaxetur.

VI.

In beneficiis ecclesiasticis non succeditur jure sanguinis vel hæreditario.

VII.

Lite ambigua ac difficili potest judex uni ex litigatoribus assignare beneficium, alteri certam pensionem in ipso beneficio.

VIII.

Prælati non potest sine consensu & subscriptione Capituli res ecclesiæ vendere.

IX.

Patrono laico licet variare, & duos successive præsentare.

X.

Sponsalia de futuro, etiam juramento firmata mutuo partium consensu dissolvuntur.

XI.

Jus patronatus inter hæredes dividi non debet, etsi ob eorum discordiam presbiter haud præsentetur, cessatur a missæ beneficio, donec unus pari voto & consilio eligatur.

Ex jure civili.

I.

Casu quo ædes inquilini sint combustæ, locatori tanquam actori incumbit probatio culpæ.

II.

Siquis hæredi suo necessario ita quid donare seu relinquere vult, ut ejus patri usumfructum simul adimat: fieri id nequit nisi salva ipsi sit legitima.

III.

Regula, quod in fideicommissis non currat præscriptio, fallit, si possessor non sit ipse hæres fiduciarius fideicommisso gravatus.

IV.

Dicendum est illos sex menses utiles, qui redhibitioni sunt statuti in jure, mutatos esse in biennium continuum. *p. L. ult. C. de temp. f. f. R.*

V.

Sententia Thomasi de perpetuitate debitorum penuniariorum in praxi non deferenda. VI.

VI.

Cum errore juris non procedit præscriptio, quia talis præsumitur M. F. possessor.

VII.

Scltm. Macedonianum obligationem filiifamilias non exstinguit, sed solum actionem ex ea descendentem.

VIII.

Filiusfamilias qua talis nequidem patre consentiente testari potest.

IX.

Ignorantia juris si quid est solutum condictione indebiti repeti non potest.

X.

Secundum L. 5. C. de ingen. & manumiss. speciale forum constitui non potest, non obstantibus pragmaticis contrarium asserentibus.

XI.

Jus accrescendi emtori hæreditatis ita non competit, ut cohæredis deficientis portionem capiat.

XII.

Et si quoque sanctio juris Romani, quæ poena infamiae viduas intra annum luctus nubentes statuit afficiendas,

ciendas, valeat, illi tamen vidua haud est subjecta, quæ intra annum quidem luctus edito tamen partu posthumo nubat.

Ex jure feudali.

I.

Per filias non intelliguntur descendentes ex filiabus.

II.

Incrementa rei feudali, sive natura, sive industria humana accedentia, utili domino vasalli subjiuntur.

III.

Oppignoratio feudi absque consensu domini non valet.

IV.

Sententia vasalli propter feloniam committentis est privatoria, non declaratoria.

V.

Deficientibus consuetudinibus feudalibus recurrendum ad jus feudale Longobardicum.

VI.

Differentia juris feudalis a jure civili, quo actore nihil probante reus absolvitur per L. 4. C. de edend.
com-

communiter ab interpretibus asserta non satis congruit
juri feudali ob text. II. f. 33. & §. sacramentum.

Ex jure criminali.

I.

Medium eliciendi veritatem per torturam minimè
rejiciendum.

II.

Dicendum est jus aggratiandi non ex arbitrio supe-
rioris, sed haud aliter exerceri posse circa poenas jure
humano constitutas, quam ex causa legitima.

III.

Judices in causis dubiis & gravissimis ratione deter-
minandarum poenarum jurisperitos adhibere necesse
est.

IV.

Pœna in Carolina in fures constituta non est injusta.

V.

Appellatio in criminalibus non est jure communi
illicita.



Prænobilissimo ac Doctissimo
Doctorando.

S. P. D.

FRIDERIC. GOTHOFREDUS
SCHLEGTENDAL

Jur. D. & Prof. P. O.

Facult. Jurid. h. a. Decanus.

Post exactum in Academia Trevirensi biennium ad nos accessisti honores doctorales petiturus, placuitque *Tibi* prius per semestre collegia juridica frequentare, quam examini Facultatis *Te* offerres. Per id temporis spatium non solum mihi in colloquiis privatis verum etiam in disputationibus publicis opponendo ingenii & eruditionis specimina præclara dedisti. Industria etiam æque ac morum modestia & probitate nemini plane cessisti. Quare non possum non *Tibi* eo nomine gratulari Summum Numen precatus, ut omnia *Tibi* prospere cedant ad Dei gloriam, reipublicæ commodum & *Tui Tuorumque* gaudium. Quod superest, ut me porro amore *Tuo* prosequi velis, etiam atque etiam rogo. Dabam d. XII. M. Martii A. MDCCCLXXXIII.